

NUMMUS CASTRENSIS

ERICI, DUCIS BRUNSUICENSIS,

Cæsarianarum copiarum Præfecti in obsidione
Bremenfi: Cufus Anno Chri-
fti 1547.



Ocia erat Brema foederis Smalcaldici: ideoque cum Jodocus Gruningus jussu Imperatoris bellum in locis Saxoniae conterminis gerens, Osnaburgenses, Mindenses, Comitem Lippiensem, alios imperata facere coegisset, ad vexandam quoque Bremam accedit. Eodem in velitatione quadam pilâ interempto, succedit Urisbergerus: paulò post etiam subsidio venit missus à Cæsare hic Ericus Dux Brunsvicensis: qui cōjunctis viribus urbem obsederunt, nec multò post tamen eandem solvere coacti. Albertus enim Mansfeldius cum Heidecco Barone, Ringravio, Bichlingo, Tumserno, & Conrado Pfenningo Hamburgensibus copijs, quæ Bremensibus auxilio venerant, conjungitur, transmissoque Albi Brunsvicum aggressus fundit, antequam Urisbergerus adveniret: qui sub id momentum, superato flumine, ut se Brunsvico conjungeret, jam in fugam versis Brunsvicanis, in Mansfeldiorum impedimenta fortè incidit: & equis ad duo millia captis, magnâ insuper præda: & quod magis victori, qui interea Brunsvicum insequēbatur, doluit. Tumserno centū millia aureorum adimit. Brunsvici clade hoc Urisbergero lucrum conciliante. Is ergo tantâ prædâ potitus jam nocte adventante, pedem retulit, & in Frisiam se recepit. Brunsvicus in Visurgim cum toto equitatu compulsus, multos è suis desideravit, ipse, tormentis omnibus amissis, incolumis evasit: rejecta in Urisbergerum culpâ, qui loco & tempore non venisset: unde post multas altercationes, altero perfidiam, altero rei militaris imperitiam exprobrante, cum res ad duellum spectaret, vix tandem amicorum interventu composita est. Confectis in Saxonia rebus Cæsar, qui Boëmorum proterviam coercere in animo haberet, & metueret, ne Brunsvici strage inflati Mansfeldiani Boëmis animos adderent, omnem cogitationem eò convertit, ne ingentis victoriæ fructum, tam